



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs II. De Constitutionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

mereantur. De quibus uti & pluribus alijs fidei nostræ articulis in hoc c. *propositis*, vide *Theologos*, & *Controversistas*.

Quæritur 2. Quinam errores damnentur circa Myſterium SS. Trinitatis in c. 2. *h. t.* *Reſp.* Damnari errores Joachimi Abbatis, quos docuit circa Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, contra Petrum Lombardum, Magiſtrum ſententiarum, cujus Doctrinam circa Myſterium approbavit *Concil. Latera. in cit. c. 2.* & damnari etiam perverſiſſimum dogma inſij Almarici, ut loquitur c. quod vide. Quæritur 3. Quales errores damnentur in c. *unicob. t. in 6.* circa proceſſionem Spiritûs Sancti? *Reſp.* deſiniri in hoc c. contra errorem Græcorum, quod Spiritus Sanctus ab æterno

à Patre & Filio, non tanquam ex duobus Principijs, ſed tanquam ex uno principio; non duabus ſpirationibus, ſed unica ſpiratione procedat; & omnes qui hoc negare præſumpſerint, damnari & reprobari. Quæritur 4. Quæ dogmata proponantur tenenda, & qui errores reprobenentur in *Clem. Vn. h. t. Reſp.* plura etiam in *hac Clem.* Fidei dogmata deſiniri circa Chriſti incarnati, & paſſi myſteria, circa veram Eccleſiam, circa Baptiſmum &c. & damnari eorum ſententiam, qui putant animam rationalem non eſſe formam humani corporis &c. vide relatam *Clem.* cujus doctrinam circa inſuſionem gratiæ, & virtutum ſupernaturalium Theologicarum in Baptiſmo, approbat *Trident. Seſſ. 6. c. 7.*

T I T V L V S I I. DE CONSTITUTIONIBUS.

S E C T I O I.

De Constitutionibus in genere, earumque obligatione & effectu.

§. I.

Quid & quomplex sit Constitutio?

R *Esp.* 1. Constitutionem dupliciter ſumi poſſe, 1. quidem generaliter & latè, pro quocunq; jure humano ſcripto, ſive à Principe, ſive ab inferiore, qui tamen jus habet ferendæ legis, conditum illud ſit. 2. Specialiter & ſtrictè, *Compend. Pirhing.*

ætè, pro illo jure ſcripto, quod vel ſummus Pontifex, vel Imperator, vel alius ſupremus Princeps ſtatuit, *Can. Constitutio. diſt. 2.*

Reſp. 2. Constitutiones alias eſſe Civiles, quæ à ſæculari poteſtate latæ ſunt; alias eſſe Canonicas, quæ à poteſtate Eccleſiaſtica latæ ſunt: & ſi velis de Constitutionibus latè acceptis loqui, ſicuti Constitutiones civiles aliæ dicuntur leges, aliæ Plebiſcita, aliæ Senatus Conſulta, aliæ Principum placita, aliæ edicta Prætorum, & aliæ Reſponſa prudentum *§. conſtat & ſeqq. Inſtit. de jure nat. gent. &c.* ita Canonicæ etiam Constitutiones

B

in

in plures species subdividi possunt, ut alia dicatur Canon, Constitutio scil. edita in Concilio; alia dicatur Decretum, Constitutio scil. edita à Pontifice de consilio Cardin. ad nullius consultationem, alia dicatur Epistola decretalis, Constitutio scil. à Papa, ad consultationem alterius, vel cum, vel sine consilio Cardin. scripto transmissa & publicata; alia denique alijs nominibus appellentur, juxta *Gloss. dist. 3. in summa v. omnes*: hodie tamen sæpe pro synonymis, sæpe in alium sensum ea accipiuntur.

§. II.

De potestate condendi leges, sive constitutiones.

Resp. 1. Constitutiones Ecclesiasticas posse condere in primis Summum Pontificem & alios Prælatos obtinentes jurisdictionem Episcopalem (juxta limites tamen suæ jurisdictionis) *c. fin. de off. legat. c. 1. & 11. §. 2. de majorit. & obed.*

Resp. 2. Posse etiam Constitutiones Ecclesiasticas facere Concilia, generale quidem, potest facere Constitutiones, quæ totam Ecclesiam obligent, si tamen illæ à Pontifice, ut tales approbentur: Provinciale verò vel Diocesanum, infra limites suæ jurisdictionis *Can. Catholica dist. 11.*

Resp. 3. Posse etiam Constitutiones Ecclesiasticas facere Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, vacante sede, pro tota Diocesi; & alia collegia inferiora Ecclesiarum, saltem in rebus minoribus, pertinentibus ad suæ Communitatis administrationem, si tamen in vim statuti hæc talia obligent.

Resp. 4. Communitates etiam, seu Ordines Religiosos, eorumque Prælatos posse etiam Constitutiones Ecclesiasticas facere, juxta modum in regulis earum, aut consuetudine, vel per privilegia præscriptum, quorum omnium ratio est, Jurisdictio ad gubernandum concessa, quæ sine legum ferendarum potestate subsistere non potest.

Leges verò politicas sive Civiles facere possunt, 1. Summus Pontifex in terris temporali suo Dominio subjectis; Imperator pro imperio, Reges alij aut Principes supremi, vel liberæ Respublicæ, pro suis provincijs; aliique secundum limites suæ, sibi, à jure, vel à supremo Principe concessæ, aut per præscriptionem, consuetudinem vel per reservationem obtentæ potestatis, prout ex varijs legibus habetur, & probat jus gubernandi, vario tamen modo juxta voluntatem conferentium tale jus, restrictum.

§. III.

Quousque se extendat legislativa potestas humana.

1. **N**on extendit se potestas legislativa humana ad ea immutanda, vel relaxanda &c. quæ sunt juris naturalis, Divini aut gentium præceptiva aut prohibitiva &c. (neque enim inferior potest legem superioris abrogare, aut dispensando eam relaxare) potest tamen legislativa humana potestas mutare, aut tollere, non tantum ea, quæ sunt juris positivi humani, juxta Statum sui conditionem, sed etiam ea, quæ sunt juris naturalis &c. permixti tantum, sicuti enim ars naturam, ita lex humana positiva per-

perficere nonnunquam potest jus naturale, suppleto v. g. quæ natura reliquit indefinita & indeterminata.

Potestatem tamen etiam legem naturalem interpretandi, seu declarandi in rebus Spiritualibus habet Magistratus Ecclesiasticus, & secularis in rebus politicis ac profanis: (neque enim qui declarat, immutat, aut de novo addit) ita tamē ut declaratio, seu interpretatio juris naturalis clara sit, si enim dubia sit declaratio talis à Laico Magistratu facta, ad iudicium Ecclesiæ spectat, declarare, quid tali in re sit faciendum, cum ad iudicium Ecclesiæ pertineat, declarare, an peccatum interueniat in tali declaratione.

2. Non potest vi legislativæ suæ potestatis humanæ per leges vel statuta, aliis sine iusta causa auferre jus suum, iisque præjudicare, Magistratus seu Princeps etiam supremus *Argu. c. quæ in Ecclesiis 7. h. t.* quamvis enim Princeps talis jurisdictionem habeat in omnes suo imperio subiectos, non tamen habet dominium rerum privatarum ad subditos spectantium; ex iustâ tamen & urgente causa, ob publicam v. g. necessitatem, aut utilitatem, potest tale quid statuere (cum publicum bonum sit præstantius bono privato, & hoc meritò illi cedere debeat) quod tamē in dubio non censi debet fecisse (cū non facile utatur potestate extraordinariâ) & facilius præsumi potest derogare juri acquirendo, quàm acquisito, cum firmitus hoc sit, & certius.

§. VI.

Quomodo, & quando Leges sive Constitutiones humana obligent?

Quod Leges sive Constitutiones humana obligent in foro conscientiæ, & sub peccato, patet ex *c. concupiscentia. 4. h. t.* ut enim iustis legibus obediant omnes subditi, non tantum Sacra Litera docent, ad *Roman. 13.* ubi dicitur: *Dei ordinationi resistere tales, & damnationem acquirere, sed lumine naturæ etiam notum est.*

Incipiunt autem obligare non prius, quàm sint publicè promulgatæ *Can. in istis 3. §. leges distinct. 4.* ubique hoc enim, ut proponatur & denuntietur publicè Communitati, obligationem non possunt inducere Communitati.

Debent autem promulgari loco & tempore à legislatore præscriptis (si tamē locum & tempus promulgationi faciendæ determinavit Legislator) ita ut ab eo tempore, quod præscriptum est, Lex obligare incipiat, *c. cum singula 32. in fin. de præbend. in 6.* Sicut enim lex dependet à legislatoris voluntate, ita etiam ab ea dependet vis obligandi, vel si nec locus nec tempus promulgationis faciendæ, aut inchoandæ obligationis præscriptum sit, obligent leges Cæsareæ quidem, post duos menses elapsos, ab earum, in singulis provinciis facta promulgatione, *Authent. ut nova Constitutiones Novell. 66.* (Cum sufficere hoc tempus, & taliter facta promulgatio videatur, ut omnibus manifestè fiat nova Constitutio) Pontificiæ verò Constitutiones prohibitiæ aut præceptivæ, probabilis statim post earum promulgationem in Curia Romana factam, obligant (neque enim relata *Authent. ut nova Ec. in Jure Canonico* recepta est, ut praxis communissima Curie Romanæ docet, cau-

fas orbis universi Romam delatas, juxta Constitutiones Pontificias Romae promulgatas decidens) ita tamen, ut quantum est ex se, ubique terrarum vim obligandi habeant, remotos vero & longius à Curia absentes, post tempus moraliter necessarium & sufficiens, ut lex promulgata in eorum notitiam devenire possit, spectata scilicet distantia locorum à Curia *c. 1. §. nec obstaret. De conse. concess. prebend. in 6.* cum modo impossibili lex obligare non possit; & hinc in effectu, nec quoad poenam, nec quoad culpam bonam fidem ignorantes promulgationem obligat.

Aliorum denique inferiorum Magistratum tam Ecclesiasticorum quam secularium leges, statim post earum promulgationem in Curia Principis vel Ecclesia Matrice, aut alio loco publico, secundum morem Patriae, vel Regionis factam, obligant, nisi aliud exprimat; neque enim aut leges positivae aliud requirunt, aut requirere videtur legislatorum talium jurisdicatio, quae tam ampla non est, ut peculiarem promulgationem in pluribus locis ad inducendam obligationem exigat.

Si vero sint leges irritantes contra us, vel alios actus &c. non prius obligant, saltem ex aequitate, si irritent contractum, jure naturali, vel divino validum, quam in singulis Provinciis, aut Diocesis, promulgatae sint, vel saltem alia via communiter sciuntur (ut ne scilicet, plus obfint, quam profint bono publico) nisi versentur circa beneficia, Professionem Religiosam, aut similes materias vel actus, in quibus Pontifex plenum jus habet disponendi, quae leges statim post promulgationem in Curia factam obli-

gant, ob plenam Pontificis circa tales res disponendi potestatem.

§. V.

An Obligent Leges, seu Constitutiones usum non receptae?

Leges & Constitutiones Canonicae post promulgationem, statim quidem obligant subditos ad eas acceptandas, tum quod sit ex parte legislatoris potestas obligandi subditos independentem ab horum acceptatione (ut ne vana illa sit & inefficax, si à populi consensu & acceptatione dependeat) *l. i. ff. de Constit. Princip. §. sed & quod Principi. Can. 1. Dist. 20.* tum quod merito hanc ipsam voluntatem taliter obligandi censeatur habere legislator, non tantum absolute loquens, praecipiens, & obligans, sed quod hoc magis expedire bono communi censeatur (nisi aliam suam voluntatem exprimat, qui legem tulit; vel à populo restricta illi potestas fuerit, dependens à populi acceptatione, quoad leges obligantes, quod de legislatore Civili quidem, non autem de Summo Pontifice dici potest) si tamen Constitutio talis vel lex, ex rationabili causa, ab initio non fuit recepta, nec observata, à tota Communitate aliqua, vel à majore illius parte, tandem definit respectu illorum obligare *argu. c. ult. de consuet.* (si enim Constitutio, vel lex talis, recepta, & observata ab initio, abrogari tamen potest juxta *relat. c. per contrariam consuetudinem*, poterit multo magis per talem non usum tolli lex nunquam in usum deducta, sive nunquam recepta) & ita quidem, ut ad talis legis nunc receptae ablationem, sive fiat haec sciente, sive ignorante Principe, non requiratur certum tempus, sed sufficiat repugnancia

tia populi, per actus legi contrarios in numero sufficiente, juxta arbitrium prudentum positos; cum Princeps, quamvis ignoret subditorum non usum, semper tamen censeatur habere illam voluntatem: quod nolit obligare, contra morem, seu usum populi. *Argu. c. 1. de consuet. in 6.* & virtualiter illam legem revocare censeatur, quæ facta est populo inutilis.

§. VI.

An Leges seu Constitutiones Canonica vel Civiles obligent etiam ignorantes?

Resp. I. Ignorantes invincibiliter legem promulgatam non obligari (in actu secundo) ad legis talis observacionem *Argu. c. 2. h. r.* (ubi enim invincibilis ignorantia, non potest committi culpa, cum ignorantia tollat voluntarium, ad omnem culpam requisitum) nisi lex esset præcisè irritans v. g. actum aliquem, certam præscribens formam &c. quo in casu contra talem legem præcisè irritantem factus actus nullus esset, quamvis cum invincibili ignorantia positus fuisset, cum irritatio talis non sit pœnalis culpam supponens, sed statuens certam formam pro bono communi.

Resp. II. Statutum etiam esse de jure Canonico *in c. 2. h. r. in 6.* ut sententiis quibuscunque (quæ animam ligant, censuris v. g.) non ligentur ignorantes, nisi crassa aut supina fuerit eorum ignorantia; non tantùm bono animatum exigente taliter non ligari ignorantes tales, sed ipsâ etiam censurarum naturâ, quæ non incurri solent, nisi à contumacibus, ubi autem est ignorantia invincibilis, ibi contumacia locum non habet.

§. VII.

An Lex vel Statutum obliget subditos extra territorium statuentis existentes?

Resp. Non ligari subditos statutis aut legibus, si extra territorium statuentis existant *c. 2. §. Statuto h. r. in 6.* (cum nemo possit extra terminos suæ jurisdictionis eam extendere) & consequenter puniri non possunt, si extra territorium statuentis contra statuta illius faciant (cum *extra territorium jus dicenti impune non pareatur*) nisi persona quidem extra territorium existat, actio verò, quæ ponitur aut omittitur, in ipso territorio poni aut omitti censeatur; vel res circa quam fit operatio, in ipso territorio existat; vel denique bonum & commodum ipsius territorii principaliter respiciat statutum tale, ut contra agens graviter illud lædat: His enim in casibus etiam extra territorium existentes, & contra statutum in suo territorio latum operantes delinquent; & pœnam in territorio statutam incurrunt Beneficiati, à suis Ecclesiis longiore tempore absentes, quam per statutum sui territorii liceat (cum residentiam omittant ibi, ubi Beneficium habeat) & qui extra territorium existentes, delictum quidem extra illud inchoant, intra illud tamen consumant, sagittam v. g. emittendo extra territorium, occidendo tamen hominem in ipso territorio existentem; & quibus prohibetur ob bonum Patriæ, extra territorium negotiari, frumentum exportare, cum hi non censeantur simpliciter extra territorium delinquere.

B 3

Resp II.

Resp. II. Hæc ipsa etiam vera esse, & asserti debere pari modo de subditis, qui intra territorium quidem, in locis tamen plenissimè à Domino jurisdictionis territorii exemptis, existunt (in ordine enim ad jurisdictionem æquiparatur locus talis exemptus, loco extra territorium sito) nisi quoad populum tali loco subditum non esset exemptus talis locus, sed præcisè ratione personarum privilegiatarum in tali loco habitantium, ob strictam scilicet exemptionis, ordinario loci talis, præjudicantis, interpretationem.

Resp. III. Præceptum tamen & sententia judicis ligat etiam extra territorium præcipientis, aut sententiam legitimam ferentis, cum enim ferantur hæc talia directe & immediatè personis subjectis, consequenter ubicunque persona fuerit, ligabitur illis.

§. VIII.

Quosnam obligent Constitutiones Canonicae sive Ecclesiasticae?

Resp. I. Canonum statuta, sive leges Ecclesiasticae, ligare omnes Christi fideles Ecclesiae subditos *c. 1. h. t.* (cum enim pro omnibus taliter subjectis ferantur leges tales, consequenter etiam omnes illis ligabuntur, si tamen legitime sint promulgatae, & usu contrario non abrogatae, sed receptae; neque particularis tantum sint, certo generi hominum tantum latae) non quidem quasi omnes obligentur omnibus quoad vim coactivam, cum Pontifex nulli jurisdictioni humanae subditus, à nemine cogi possit; sed quoad vim directivam, saltem indirectè, & ex æquitate naturali, quâ quis pa-

tilegem jubetur, quam ipse tulit *c. cum omnes 6. h. t.* nisi statui ac Dignitati non congruant.

Resp. II. In foro etiam externo sæculari juxta sacros Canones judicandum esse in materia Ecclesiastica, quidquid in jure Civili de tali materia decisum sit, cum tales Civiles decisiones per jus Canonicum correctæ sint, & ob defectum jurisdictionis in Civili Legislatore circa talem materiam nullæ sint.

§. IX.

Utrum Leges Civiles & Statuta Magistratus secularis obligent personas Ecclesiasticae?

Resp. I. Quæ expressè & nominatim de rebus, aut personis Ecclesiasticis, præcipiendo aliquid, aut prohibendo, decernunt, non obligare personas Ecclesiasticas *c. quæ in Ecclesiarum 7. h. t.* etiam si in commodum, & favorem Ecclesiarum disponant (cum tales leges ob defectum jurisdictionis ipso jure nullæ sint) sive deinde disponant in specie de bonis Ecclesiasticis Clericorum, aut Personarum Ecclesiasticarum, sive de bonis earum Patrimonialibus (cum certum sit, quod si persona exempta est, res illius etiam exemptæ sint, velut accessoriarum personis exemptis) quamvis bona talia intra Laicorum Principum v. g. districtum, aut territorium sita sint *c. 1. de immunit. Eccles. in 6.* (cum territorialis jurisdictionis non se extendat, nisi erga Personas, & Res subditas, quales non sunt exemptæ Personæ & Res Ecclesiasticorum, nisi bona Feudalia essent, quæ ex dispositione utriusque juris sub jurisdictione domini dire-

directi manent c. 6. & 7. de foro com-
pet. vel nisi lex Civilis disponat quidem
specificè de bonis aut personis Ecclesia-
sticis, nihil tamen præcipiat, aut prohi-
beat, sed merum favorem, seu Privile-
gium Clericis aut Personis Ecclesiasticis
concedat; neque enim dans privilegium
ullam jurisdictionem in privilegiatum ex-
ercent, cum possint enim extraneis,
non subditis dari privilegia.

Resp. II. Quòd, si Lex Civilis aut sta-
tutum Magistratùs secularis in genere
tantum præcipiat aliquid, aut prohibeat,
nullam in specie mentionem faciendo
Personarum aut rerum Ecclesiasticarum,
non comprehendantur personæ tales aut
earum bona in præjudicium earum, ver-
ba enim generalia legis talis, ut vim su-
am habeant, & justæ leges tales dicantur,
restringenda sunt ad limites potestatis
statuentis, ut non comprehendant, nisi
subditos.

Resp. III. Quæ verò Leges Civiles,
aut statuta Magistratùs secularis ob pu-
blicam R eipublicæ utilitatem in commu-
nitate sunt, circa materiam tam Cleri-
cis quàm Laicis communem (quales sunt,
materiæ contractuum, testamentorum,
judiciorum &c.) nec SS. Canonibus re-
pugnant, aut statum Clericalem dede-
cent, etiã à Clericis & Personis Eccle-
siasticis observari debent; non quidem
quasi directè illis legibus, ut à Laico Ma-
gistratu laici obligentur, aut quòd obli-
gentur quoad vim coactivam (cum de-
sit in legem talem ferente respectu ha-
rum personarum, tam ad cogendum,
quàm obligandum directè jurisdictione)
sed quòd illis obligentur, quoad vim di-
rectivam, saltem indirectè, vel quòd

æquitas naturalis exigat, ut aliis ejus-
dem Communitatis membris pro bono
publico circa talem materiam confor-
mentur.

S E C T I O II.

*De Legibus seu Constitutio-
nibus reprobatas seu prohibitis
jure Canonico.*

§. I.

*De Legibus & Statutis Civilibus,
quæ adversantur immunitati Eccle-
siastica.*

R*Esp. I.* Injustas eas esse, & irritas, de
utroque jure, sive directè sive indi-
rectè immunitati Ecclesiarum, aut Per-
sonarum Ecclesiasticarum, earumque re-
bus præjudicentur, merum onus v. g. aut
gravamen imponendo, aut juri acquisito
earum derogando. c. 7. & 10. h. t. c. no-
verit. 49. c. gravamen 53. de sent. exco. l.
placet. 5. l. privilegia. 12. authent. cassa.
Codice de SS. Ecclesiis. Videatur Bulla Ur-
ban. VIII. edita. 1641. die 23. Decemb. quæ
incipit, Romanus Pontifex, & extat in
Bullario Romano Tom. 4. Constit. 159.

Resp. II. In specie tales leges iniquas
& irritas enumerari illas, 1. quæ feruntur
de solvendis, ac præstandis vectigalibus,
angariis, collectis, & similibus exactio-
nibus, si ad Clericos aut Personas Eccle-
siasticas extendantur c. non minus. 4. & c.
adversus. 7. de immunitate Ecclesiarum.
c. 1. & 3. eodem in 6. c. quamquam. 4. de
consibus in 6. 2. Per quas sunt tribu-
taria prædia Ecclesiarum & Clericorum.
3. Per quas gravantur Personæ Ecclesia-
sticæ

sticæ, si migrent de uno loco in alium, & jubeantur, partem aliquam bonorum, quæ secum deferunt, fisco, vel communirati solvere; aut ex relictis ad piam causâ publicæ fabricæ solvere aliquid. 4. Per quas ingredienti Religionem aliquam à successione hæreditaria excluduntur, vel jubentur parte aliqua hæreditatis, aut usufructu ad dies vitæ esse contenti. 5. Per quas res immobiles triennio præscriptibiles fiunt, si ad personas Ecclesiasticas, & res illarum immobiles lex talis extendatur. 6. Denique per quas redduntur personæ aliquæ ad contrahendum &c. ad testandum & donandum inhabiles in pœnam v. g. delicti alicujus, vel ab ipsis, vel ab eorum majoribus commissi, ita ut velint, personas etiam Ecclesiasticas legibus his comprehendere &c. His enim & similibus legibus, si ad personas etiam Ecclesiasticas extendatur, graviter præjudicatur immunitati Ecclesiasticæ, contra talia à secularibus imposita onera privilegiata, & consequenter iniquæ illæ sunt, & nullæ, in quantum ad tales personas & res extenduntur.

§. II.

An Lex Civilis vel Statutum Principis, vel Magistratus secularis, prohibens quovis modo alienari bona immobilia in Ecclesias vel Personas Ecclesiasticas sit validum & licitum?

Resp. I. Prohiberi statutum tale, vel legem talem, sub pœna excommunicationis, si specificè & expressè prohibeat, ne bona talia immobilia à subditis vendantur, aut doneantur Ecclesiis, aut Personis Ecclesiasticis, aut alio modo in illas alienentur, prout satis clarè colligitur ex c. ult. de immunit. Eccle. in 6. Ubi pœ-

næ excommunicationis subjiciuntur illi sæculares Magistratus, qui suis subditis prohibent, ne quidquam vendant Ecclesiasticis, ita ut, si non ex verbis textus, ex mente tamen & intentione legislatoris, quæ anima legis est, rectè dicatur, sub pœna excommunicationis prohibita Lex vel statutum talia talibus vendi prohibens, cum talia in derogationem libertatis Ecclesiasticæ, ut ait Pontifex, præsumantur sive attententur, certè jus naturæ concedit personis Ecclesiasticis, quòd possint (cæteris paribus) à quibuscunque bona immobilia emere vel acquirere &c. ergo si prohibita sint illa statuta, quibus aliquid illis personis adimitur, quod jure communi positivo concessum illis est, uti patet ex variis juribus, multò magis prohibita erunt illa statuta, quibus ea ipsis jura adimuntur, quæ de jure naturæ competunt: & quamvis quilibet privatus prohibere possit, ne res sua, cujus plenum dominium habet, taliter in Ecclesiam v. g. transferatur, cum de re sua, cujus est Dominus proprietatis, pro suo libitu disponere possit, non potest tamen talem prohibitionem facere Magistratus secularis, circa bona suorum subditorum, cum penes illum sit tantum Dominium jurisdictionis, vi cujus circa subditos statuere aliquid potest, non tamen circa personas non subjectas.

Resp. II. Non tantum dicto modo prohibita esse statuta talia & leges, sed etiam irrita & nulla; prout etiam illa statuta nulla sunt in ordine ad personas Ecclesiasticas, quæ nihil quidem in specie de personis Ecclesiasticis statuunt, in genere tamen prohibent, ne talia in extraneos v. g. & non subditos jurisdictioni statuen-

tis alienentur (cū statuta, quæ liber-
tati Ecclesiasticæ præjudicant, nulla sint,
juxta sæpius allata jura) nisi cum licentia,
& permissione Summi Pontificis ea con-
dita fuissent, aut ab illo approbata, cū
non tantū derogare possit Pontifex
Clericorum privilegiis, sed licentiam
etiam dare possit personis talibus Eccle-
siasticis, ut juri suo, quod sibi de natura
competit ad acquirendum & retinen-
dum, ob bonum publicum cedere pos-
sint: & quamvis ex recepta in pluribus lo-
cis præpateat, nullitatem hanc alicubi
non agnosci, non debet tamen de valo-
re talium statutorum ex praxi colligi ali-
quid, sed ex jure Canonico, cū Regu-
la nostrarum actionum non sint facta
hominum, sed jura competentia.

§. III.

De aliis Constitutionibus reproba-
tis à jure Canonico.

I. Statutum alicujus Communitatis
vel Collegii, quod vergit in ali-
quorum commodum & in aliorum da-
mnum, sive per quod aliqui magis, quàm
alii ejusdem Collegii & æquale jus ha-
bentes gravantur, injustum est & invali-
dum. *c. cū omnes 6. h. t.* Cū enim lex
sive Constitutio commune sit præcep-
tum, ad cujus normam communiter om-
nes ejusdem communitatis vivere de-
bent, & ferri debeat ob publicum bo-
num, & communem utilitatem totius
Collegii, consequenter nulla est, & invali-
da talis Constitutio, si privatum tantū
commodum singulorum attendat, & si-
ne ulla rationabili causa inæqualitatem
inducat, inter ejusdem Communitatis
partes; ac optimè taliter constituenti di-

catur; *patere legem, quam tu ipse tulisti.*

II. Non valet statutum, quod cedit
in diminutionem cultūs Divini. *ex parte
12. h. t.* (ut imminuatur v. g. numerus
præbendarum in Ecclesia aliqua Colle-
giata contra antiqua statuta, aut consue-
tudinem, vel fundationem certum nu-
merum præscribentem, quò pingui-
ores obveniant præbendæ paucioribus
Canonis) cū Divinus cultus augeri
potius quàm imminui debeat, & statu-
tum tale videatur ex radice avaritiæ, &
proprii commodi potius provenire, quàm
ex legitima causa, cū reditus in tali Ec-
clesia consueto Canoniorum v. g. nu-
mero competentes, nihil fuerint immi-
nuti.

III. Non valent statuta Clericorum
ab inferioribus Pontifice facta contra jus
Canonicum *c. quod super his de majori.
& obed.* Quamvis enim Laicis concessa
sit hæc potestas, ut possint etiam contra
leges Cæsaræas statuta facere, hæc tamen
potestas contra jus Canonicum statuta
faciendi non legitur concessa Clericis
Pontifice inferioribus.

S E C T I O III.

De interpretatione, exten-
sione & abrogatione Constitutio-
num seu statutorum.

§. I.

De interpretatione legis vel
statuti.

Certitas Regulas observandas esse in
legum aut statutorum interpreta-
tione, docent communiter omnes: Et i-
quidem non tam verba, quàm mens &
inten-

C

intentio legislatoris (quæ potissimum ex ratione motiva, propter quam lex fertur, colligi potest) observanda sunt in legis interpretatione *c. in his 15. de V. S. reg. ult. in 6.* cum intentio rectè dicatur anima legis. 2. Interpretanda sunt verba legis juxta communem, & usitatam, æ propriam significationem, à qua recedendum non est, nisi ratio vel necessitas cogat, ad evitandum v. g. absurdum, antiquorum jurium correctionem, aut receptæ consuetudinis praxin &c. quarum correctiones odiosæ sunt, & ad verba nonnunquam improprandi cogunt. 3. Quæ generatim & indefinitè loquitur lex, generaliter etiam & universaliter intelligenda est, ut locum habeat in omnibus, quæ sub tali genere in propria verborum significatione continentur. (*ubi enim lex non distinguit, neque nos distinguere debemus*) nisi per legem priorē aut posteriorē in specie loquentem generalitas illa limitetur, aut casus aliquis in ea excipiatur. 4. Ita intelligenda sunt verba legis, ut lex non reddatur inutilis & otiosa, sed ut aliquid operetur & effectum aliquem habeat juxta *Gloss.* communiter receptam *in c. 2. §. fin. V. aliter facta de usu. in 6.* 5. In dubio explicari verba statuti debent, ut quantum fieri potest, salva eorum proprietate, à communi jure non recedatur (juxta *Gloss.* communiter receptam *in c. cum dilectus. 8. V. juri communi de consuet.*) & non sit explicatio illa contra stylum Curie Principalis in foro illo observandæ, aut contra consuetudinem communiter receptam *c. ex literis. 11. h. 1.* & hæc etiam clausulæ in statutis talibus & legibus sibi intelligi debent, quæ secun-

dum Jus commune, & stylum Curie, aut loci consuetudinem apponi solent *c. cum M. 9. h. 1.*

§. II.

De extensione legis.

Extensio legis duplex est, comprehensiva alia, sive inclusiva, quæ tamen minus propriè legis extensio dicitur, & aliud non est, quàm quod per eam dispositio, sive decisio legis transferatur ad alium casum aut Personam, non quidem sub verbis expressis legis clarè significatam, comprehensam tamen in mente legislatoris, ad quam in decisione legis præcipuè attendi debet: alia legis extensio, quæ propriè dicta est, dicitur extensiva, quando scilicet dispositio legis ad alium casum aut Personam, nec sub verbis legis, nec in mente legislatoris comprehensam, propter paritatem rationis extenditur, non quidem contra mentem legislatoris, sed præter aut ultra illam.

Illæ, comprehensiva scilicet extensio locum habet ob identitatem rationis, non tantùm in materia favorabili, sed etiam odiosa pœnali, exorbitante & juris correctoria (rarius tamen, & non nisi urgente necessitate, ne absurdum admittatur) tam intra, quàm extra judicium; quia meritò præsumi potest, legislatorem expressisse quidem aliquem casum E. G. alios tamen similes casus, in quibus omnino eadem ratio pugnat, & absque iniquitate & absurdo aliud dici non potest, pari modo decidendos in animo habuisse. Hæc verò meritò extensiva propriè dicta extensio, extra judicium & in foro conscientie locum non habet (*neque enim*

enim *lex obligare potest in conscientia ad id, quod non praecepit*) nisi sit merè favorabilis materia (cum favores sint ampliandi juxta *regulam 15. in 6.*) aut agatur tantum de facultate agendi aliquid, vel de exceptione à legis obligatione, ubi propter paritatem rationis, praesertim si ea in lege exprella sit, extensio etiam proprie dicta fieri potest (argu. *c. inter cetera. 4. de rescript.*) nisi in speciali casu contrarium statutum esset.

§. III.

An Lex sive Constitutio extendatur ad praeterita?

Lex sive Constitutio, quae novum jus condit, sive de novo aliquid statuit ac disponit, ad praeterita, sive ea, quae jam facta sunt, non extenditur, sed futuris tantum negotiis formam modumque praescribit (*c. 7. & ult. h. t. ne detrimentum scil. ut ait Pontifex, ante prohibitionem ignorantes incurrant*) nisi in lege nominatim expressum sit, ut ad praeterita etiam extendatur, ut si nullam quidem faciat de praeteritis mentionem, sit tamen lex antiqui juris declarativa tantum, vel actus jam facti rescissiva tantum &c. In his enim casibus etiam ad praeterita extenditur, cum absoluta è penes legislatorem legitimum sit, ex justa causa non tantum taliter statuendi potestas, sed sit etiam potestas antiquum jus declarandi (*c. cum in. 5. de usu, juncta Glos. verb. post*) & actum merè quidem jure validum, contra tamen Canones prohibentes factum irritandi & rescindendi, praesertim ubi eadem ratio rescissionem praetoriorum contra jura prohibentia facto-

rum urget, quae urget nullitatem futurorum, quin etiam, quamvis lex juris novi constitutiva ad praeterita non extendatur, si absolute nec futurorum nec praetoriorum memor loquatur, & de ipso facto aut forma faciendi decernat, *c. ult. h. t.* si tamen disponat de executione aut ulteriore processu negotii cepti, tunc extenditur etiam ad praeterita nondum executioni mandata, modò eadem omnino vel major ita statuendi ratio reperiatur in praetorito arg. *clero. un. 4. de testa. juncta Glos. verb. deputatis.*

§. IV.

An statutum Superioris auctoritate confirmatum possit à statuentibus sine illius consensu tolli & revocari.

Duplex est confirmatio, essentialis & necessaria, alia accidentalis: essentialis sive necessaria confirmatio est, quae dat formam seu substantiam legi sive statuto, necessario scil. & essentialiter ad illius valorem requisita, quando inferiores scil. non habent per se ipsos, potestatem statuendi seu ferendi legem, quae vim obligandi habeat, nisi prius à Superiore confirmetur, vel quando Superior tale statutum confirmat cum clausula: *ex certa scientia, vel ex plenitudine potestatis*: aut cum clausulis omni contrario derogatoriis, &c. accidentalis verò confirmatio vocatur, quae non dat formam quidem & substantiam, ac Valorem legi seu statuto, quia inferiores per se ipsos habent vim statuta condendi, quae obligant, petitur tamen à Superiore & admittitur, ut

C 2

ma:

majus robur & auctoritatem statutum tale habeat. Quo supposito ad quæsitum § hujus. 2. quod statutum ab inferiore Magistratu factum, si confirmatione tantum accidentali à Superiore confirmatum sit, ab eodem inferiore Magistratu, qui statutum tale tulit, revocari & tolli possit, absque consensu Superioris desuper habito: non autem si confirmatione essentiali & necessaria à Superiore confirmatum sit; cum enim per hanc essentialem confirmationem totam vim suam, obligandi hinc & nunc habeat, & accipiat à Superiore confirmante, non autem in illo casu confirmationis tantum accidentalis, quo in casu vim omnem suam obligandi statutum tale, non à confirmante Superiore, sed à Magistratu inferiore statutum ferente habet, consequenter per illam confirmationem necessariam, factum est statutum tale, statutum Principis juxta *C. 1. Cod. de Vet. jur. Enacle*: Per accidentalem tamen confirmationem suam naturam non mutavit, sed manet obligans in vim statuti ab inferiore Magistratu facti, ergo cum inferior nihil possit circa tollenda Superiorum statuta, præsertim, si ob bonum publicum principaliter ea lata sint, possit autem eadem auctoritate tollere statutum à se factum, quæ fecit, poterit absque consensu Superioris hoc à se factum statutum tollere, quamvis accidentali confirmatione à Superiore confirmatum sit, non poterit autem tollere absque consensu confirmantis Superioris statutum illud, quod essentiali & necessaria confirmatione à Superiore confirmatum est, si ob bonum publicum tale statutum factum sit. Dico

ob bonum publicum: si enim statutum tale factum esset, & essentialiter confirmatum directè, per se ac principaliter in favorem tantum statuentium, sicuti quisvis favori pro se introducto renuntiare potest, ita possent etiam hi statuentes statutum tale, quamvis essentialiter à Superiore confirmatum, sine alio hujus consensu tollere, & abrogare. *c. cum accessissent, s. h. t.* Quin imò, si per revocationem statuti specialis redeatur ad observationem juris communis pristini, tolli & revocari potest à statuentibus inferioribus tale statutum speciale, quamvis essentialiter & necessariò à Papa confirmatum sit, absque alio expresso consensu Superioris, qui essentialiter confirmavit, cum ex præsumptione prudenti consensu Superioris, qui pro jure communi semper magis præsumitur, in tali casu tacitè saltem interveniat.

§. V.

An & quâ ratione prior Constitutio tollatur per posteriorem?

Resp. 1. Lex seu Constitutio Principis posterior, si sit directè contraria priori constitutioni, tollit eam, & abrogat, quamvis de prioris constitutione nullam mentionem faciat, si tamen Princeps prioris constitutionis notitiam habuit, prout supponitur scire juris communis leges, *c. 1. h. t. in 6.* (cum enim habeat potestatem tollendi prioris, consequenter, si novâ condâ, quam scit priori directè contrariâ esse, censetur eam tollere & abrogare) nisi prior illa constitutio sit Conciliaris, cui per posteriorem absque expressa illius derogatoria non

non derogatur Arg. c. ex parte. 3 Juncta
Gloss. V. nulla mentio de Capellis, Mo-
nach. (cū tali tantā maturitate factæ
Conciliari dispositioni noluit tam facile
derogare Pontifex) vel certis quibus-
dam clausulis contra derogationem mu-
nita sit; quæ si specificam mentionem
requirat, non tollitur per clausulam ge-
neralem, non obstantibus quibuscunque
in contrarium: sed debet habere clau-
sulam specialem clausulæ priori, expressè
vel æquivalenter derogantem.

Resp. 2. Non tantum per postero-
rem Principis Constitutionem deroga-
tum censetur particularibus statutis,
quaravis lex posterior directè contraria
sit illis, ut constat ex relato c. 1. (quorum
enim nullā notitiam Princeps habet, sicuti

presumitur non habere notitiam eorum,
quæ particularia locorum certorum sunt,
illis non censetur per suam contrariam
constitutionem derogare, nisi expressè
caveatur, saltem per clausulam genera-
lem non obstante quocunque contrario
statuto, &c. ut ait Gloss: in relato c. v.
facti; aut nisi statutum tale particulare
idem disponat & decernat, quod dispo-
nit & decernit jus commune, nihil ei ad-
dendo, vel detrahendo, prout iterum
probat relata glossa, & ex eo desumpta
ratio, quod scilicet cū aliud nihil statuat jus
particulare, quàm jus commune, conse-
quenter qui derogat juri communi, cen-
seatur etiam derogare juri particulari,
idem profus asserenti, quod asserit jus
commune.

T I T V L V S I I I . D E R E S C R I P T I S .

S E C T I O I .

De Rescriptis in genere, eo- rumque divisione & impe- tratione.

§. I.

Quid sit Rescriptum & quomplex?

Rescriptum aliud non est, quàm Re-
sponsum Principis supremi Ecclesia-
stici vel Secularis, supplicanti vel con-
sultenti in scripto datum: quamvis enim
si rescripti nomen latius accipere velis

omnis responsio ad petitionem alterius,
quamvis à privato facta sit, in scripto
obtentā, rescriptum dici possit, quia
tamen in h. t. maximè de rescriptis Pon-
tificiis agit, & leges etiam Civiles in
strictiore acceptione de rescriptis lo-
quuntur, hinc ab illa strictiore, & magis
propria acceptione discedi non debuit;
quæ tamen ipsa acceptio strictissima non
est, cū multi adhuc distinguant inter
privilegium, beneficium, dispensatio-
nem, & rescriptum; quia tamen hæc di-
stinctio magni momenti non est, magis
placet sub rescripti nomine hæc omnis
comprehendere.

C 3

Plu-